

ipsos, quae et qui ultra dictum numerum fuerint, recedere faciemus et facient, nec dicti abbas, prior et conventus aliquas vel aliquos ultra eundem numerum tenebuntur procurare. Similiter si nos et nostri successores in fine dictae quindenae reliquarum personarum pro conductu recedendi a dicto monasterio indigentiam habuerimus et habuerint, illas die proxima praecedente ante nostrum et eorum recessum ad dictum monasterium vocare poterimus et poterunt, ipsasque dicti abbas, prior et conventus cum earum evectionibus et equitaturis per illam noctem hospitare et procurare tenebuntur. Nosque in antea et dicti nostri successores dominis abbati, priori et conventui bonus et boni debemus esse amicus et amici, ipsosque et eorum monasterium in omnibus efficaciter promovere, nec litem praedictam aut aliqua, quae occasione dictae litis inter nos et dictos abbatem, priorem et conventum sunt exorta, ullo unquam tempore ad animum volumus revocare. In quorum omnium etc. Datum in castro nostro Stolpin anno domini M. CCC. LIII. die dominica proxima post diem beati Lucae evangelistae.

Ludewig rell. mss. I. p. 354.

No. 474. 1354. 8. Jan.

B. Johann und das Capitel genehmigen die Ueberlassung eines Hauses mit Garten in Meissen an den Fischer Nik. Wendephach gegen einen jährl. Erbzins an den Capellan in der Wasserburg.

Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missnensis recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod locationi, qua magister Theodericus decanus iam dictae ecclesiae nostrae Missnensis et cappellanus in Wassirbürg Nycolao dicto Wendephach piscatori, suisque heredibus iure enphiotico locavit quandam domum cum horto eidem adiacenti pro certa annua pensione ei qui pro tempore dictam cappellam possederit danda, sicut in litteris eidem Wendephach datis plenius continetur, consentimus ipsamque ratificamus et approbamus per praesentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini millesimo CCC^{mo}. LIII^o. octava die mensis Januarii.

Et nos Johannes de Strelis praepositus totumque capitulum ecclesiae Missnensis praedictae locationi huiusmodi domus et horti ut praemittitur, nostrum adhibuimus expressum consensum et adhibemus per praesentes, et in testimonium huiusmodi nostri consensus sigillum nostri capituli praesentibus duximus appendendum anno et die quibus supra.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Bischofs und dem wohl-erhaltenen des Capitels an Pergamentstreifen.